

nem hujus afferti autem reddit in ejusdem capitis axioma-
mate V. expressis verbis: quia maximam partem ex me-
chanicis ducuntur, & ad ea omninò revocantur.

§. 16. Nostro igitur iudicio mitiùs cum Rolfincio illi
sentiunt, qui Sal, Sulphur & Mercurium non pro pri-
mis principiis, sed ex elementis mista prima corpora
agnoscunt, & hinc nec per ea sola quà talia res naturales
explicant.

CAPUT III.

*Principia Chémica non simpliciter ex Physicis
eliminanda esse, docens.*

§. I.

PRincipia itaque Chémica non esse prima, proindeq;
nec sola sufficientia ad explicandas res naturales, in
capite præcedente, ut puto, satis probatum erit. Ne
autem iniquius & durius forsitan, ut sæpè fieri solet, audi-
re cogamur iudicium, mentem nostram porrò paucissimis,
antequam Disertationem hanc finiamus, explicabimus.
Scilicet non ii sumus qui Chémiám, artium nobilissimam
& utilissimam aspernemur, utpote probè gnari, ipsam
non solum maximos & innumeros in foro Medico habere
usûs, sed nec Philosophiam, imprimis verò Physicam eâ
carere posse, cum corporum naturam, differentias, cau-
sas atque proprietates sine pyrotechniâ novissè, teste *Hel-*
montio sit impossibile.

§. 2. Neque principia ejusdem in totum rejicimus, sed
dubitamus modò, an prima sint, & omni corpori conve-
niant: nam quæ præcedente capite dicta, non eum in fi-
nem allata sunt, ut Chémicorum principia convelleremus,
sed ne quis fortè plus æquo his principiis tribuat, quasi
aut.